



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 68. Tractatus pacis cum Græcis a Mahomete innovatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. a Turcis vi capta, & extrema, qua Græci unionem Ecclesiæ respuebant, obstinatio castigata est.
A C. 1451.

§. LXVIII.

Tractatus pacis cum Græcis a Mahomete innovatus.

Phranz. l. 3.
6. 2. **N**eo electus Sultanus, quamvis nihil solemnius haberet, quam ut Constantinopolim suo imperio subjiceret, nihilominus throno vix conscenso pro usitata sua simulandi ratione cum Imperatore Græcorum initi foederis pacta renovavit, licet Cæsarem non nisi ludificare, atque a militari apparatu avocare intenderet, haud longiori tempore pacem servare cogitans, quam suas ipse copias ad bellum plene instruxisset. Sultanus equidem coelum & terram in testes vocabat, se inviolabili fide pacem servaturum, nec unquam toto vitæ suæ cursu quicquam contra Græcorum imperium attentaturum, nihilominus Constantinus Imperator Mahometanam perfidiam sæpius jam expertus, specioso huic verborum lenocinio haud fidendum arbitrabatur; unde ad Papam Legatos decrevit, qui opem implorarent in extremo hoc periculo, cui eluctando eo magis impar erat, quo proximius adeo formidandi hostis violentia suæ cervici imminebat. Excusabat suam, qua
 hacte-

hactenus Græcos ad recipienda Floren- Sæcul. XV.
 tinæ Synodi decreta compellere negle- A.C.1451.
 xerat, tarditatem, sub prima imperii sui
 auspicia turbatum nimis regni statum
 caussatus, pollicitus tamen, se rupta omni
 mora illud negotium promoturum, eo-
 que consilio Gregorium Patriarcham re-
 vocaturum. Is quippe, cum vir esset
 sanctitate celebris, cognita Græcorum
 pertinacia Romam relicta Constantinopoli
 petierat, ubi etiam paulo post in pace
 quieuit.

§. LXIX.

*Græci datis literis Bohemos ad suas
 partes trahere intenti.*

Verum non eadem omnibus Græcis in-
 federat unionis sententia; nam eo-
 dem adhuc anno eorum nonnulli nomine
 Ecclesiæ Constantinopolitanæ epistolam
 scripsere ad Bohemos Hussitas, qua eos
 summis laudibus efferebant, eoquod non
 attenderent ullis Romanorum novitati-
 bus, sed firmi in soliditate fidei persiste-
 rent, simulque hortati sunt eos, ut in illa
 perdurarent, & secum uniri vellent, non
 quidem (inquirebant illi) secundum si-
 mulatam Florentinæ Synodi unionem,
 a recto tramite aberrantem, sed secun-
 dum immutabile decretum a Patribus
 antiquis traditum, quod ipsi Græci serua-
 rent.